



Kaltschmidle ille apud Heluetios obscuris parentibus natus fuit. Verùm ipse ob rei bellicæ peritiam, & insignem prudentiam, cum adiuncta naturali facundia, paulatim sibi magnum nomen comparauit. Erat quidem infra mediocris stature homo, uerùm corpore firmo & compacto. Is primò cum Heluetijs apud Iusubres contra Gallum militauit. Cum autem anno reparatæ salutis humane millesimo quingentesimo decimo quinto foedus cum Gallo Heluetij inirent, postmodum Francisco regi fortiter adhæsit, & sæpius pedestribus Heluetiorum copijs præfectus fuit. Nam & Papiæ, cum rex caperetur, & postea multis alijs prælijs interfuit, atque fortunæ beneficio subinde incolumis euasit. Postea uerò cum Anno à nato Christo millesimo quingentesimo tricesimo quinto, denuò bellum inter Carolum & Gallum renouatum esset, atque Heluetiorum Magistratus suos domi continere proposuisset, Kaltschmidlius, re cum quibusdam capitaneis communicata, militibus bellum Gallicum suscitauit. Erat tum Carolus Imperator magnis copijs Prouinciã ingressus, atque totam regionem ad eò uastabat, ut multi putarent, eo tempore Galliam magnam iacturam percepturam. Accedebat & Francisci Delphini, regis filij, mors. Itaque cum multi ex magistratu conuiuere uiderentur, tandem Kaltschmidlius sua industria iustum exercitum apud Heluetios & milites uoluntarios comparauit, atque eorum dux constitutus, in Galliam profectus est. Erant Heluetiorum circiter uiginti millia. Itaque Franciscus rex eorum aduentu recreatus, eos magna gratulatione suscepit, & liberalia stipendia promissit. Illi enim sua uirtute effecerunt, ut Carolus nec ulterius progredi, nec summis uiribus prælium inire cuperet, sed primò se in castris contineret, postea in Italiam rediret. donec tandem animum ad pacem ineundam adiecerit. quæ etiam primò Niceæ incepta, & postea in Belgis Anno post natiuitatem Domini millesimo quingentesimo tricesimo octauo consummata fuerunt. Itaque eo bello Kaltschmidlius ob liberatam Galliam passim sibi magnam authoritatem comparauit, ut eius paulo post defuncti apud Heluetios honesta mentio etiam hodie inter militiae præfectos frequenter fiat. Paulus Iouius.